

dunt ^{ss}). Quae quidem vt plene intelligantur, sciendum est, moris fuisse veteribus, vt, dum duo pluresue sponfione de quadam re, quae dubia videbatur, certarent, darent aliquid tertio cuidam, quasi arrhae et pignoris loco, qui non tantum illud custodiret, verum quoque, quum de sponfione certaretur, controuersiam dirimeret, et quis vicisset, pronunciaret. Elegans est huius rei exemplum ab AVRELIO THEODOSIO MACROBIO ^{hh}) relatum, quod praeteriri hoc loco non debet, nec piget illud adscribere, vt, qui haec legant, habeant in promptu. En verba eius: *Quum ANTONIVS, quidquid mari, aut terra, aut etiam coelo gigneretur, ad satiandam ingluuiem suam natum existimans, faucibus ac dentibus suis subderet; eaque re captus de romano imperio facere vellet Aegyptium regnum: GLEOPATRA vxor, quae vinci a Romanis nec luxuria dignaretur, sponfione prouocauit, insumere se posse in vnā coenam sestertium centies. Id mirum ANTONIO visum, nec moratus sponfione contendit, digna sculna MVNACIO PLANCO ⁱⁱ), qui tam honesti certaminis arbiter electus est. Eandem historiam PLINIUS ⁱⁱ) quoque narrat, et LVCIVM PLANCVM iudicem sponfionis vocat, qui victum ANTONIVM pronunciauit. Aliud simile exemplum huius generis sponfionis XANTHI et adolescentis cuiusdam de mari ebibendo certantium ex MAXIMO PLANVDE profert*

gg) CUIAC. ad Lib. 2. Paulli ad edict. ibique ad c. proprie in sequestro 6. D. Depositi.

hh) in Saturnal. Lib. 2. c. 13. secundum distinctionem PONTANI.

ii) Retinui enim antiquam illam lectionem, licet PONTANVS eam correxerit

hoc modo: dignus sculna Manucius Plancus. MEVRSIVS pro dignus legit: dictus. Mihi quidem in antiqua illa lectione omnia videntur clara, nec emendatione nec correctione indigere.

ii) Lib. 9. histor. mundi cap. 35. circa finem.